

Sanctissimo patri ac domino Innocentio dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici Otto eadem gratia et sua Romanorum rex et semper augustus salutem cum filiali dilectione. Cum post deum, pater sancte, vos semper habeamus propiciam et benignam, sicut exaltatio et sublimatio nostri honoris manifeste declarat honorem nobis  
 5 divinitus collatum deo et vobis semper velimus ascribere, cum in cinerem et favillam negocium nostrum redactum fuisset, si manus vestra et auctoritas beati Petri in partem nostram non declinasset, hoc semper pre oculis habebimus, quoad usque vixerimus. Sane innotescere vobis cupimus, quod status noster de die in diem prosperatur et hoc non excellentie nostre, sed deo et vobis et ecclesie Romane ascribimus. Regem Boemie, lan-  
 10 gravium Thuringie, marchionem Moravie per potentiam non habuimus, sed per magnam vestram sollicitudinem et frequentem, de qua non dubitamus, sed de die in diem super hoc magis certificamur. Curiam enim sollempnem habuimus proxima quinta feria ante festum beati Martini, in qua multi principes imperii fuerunt, archiepiscopi, episcopi, duces, comites et alii quam plurimi nobiles. In ea vero talia sunt ordinata et statuta, que  
 15 scriptis<sup>a)</sup> committere non audemus, sed lateri presentium dilecto et familiarissimo<sup>b)</sup> clerico nostro H. de Aquileia memoriter commendavimus et ei firmiter sub obtentu gratie nostre iniunximus, ut vobis omnia per ordinem referat. — —

## 77.

*Papst Innocenz III. ermuntert die geistlichen und weltlichen Fürsten und Herren Deutschlands, und insbesondere den Landgrafen von Thüringen und den Rheinpfalzgrafen, zur Ausdauer bei König Otto.*  
 20 Anagni, 1204 Jan. 24.

*Hdschr.: Reg. No. 6 fol. 29 No. 107. Vatikan. Archiv.*

*Gedr.: Baluze, Ep. Innocent. III. 1,736; ed. Migne 3,1110. Pothast 2094. Böhmner-Ficker 5876.*

Archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ducibus et aliis principibus karissimo in  
 25 Christo filio nostro illustri regi Ottoni in Romanorum imperatorem electo faventibus. Solet esse tam messis quam vindemia cultori gratior post laborem et non solum mercennarius finem sui operis prestolatur, sed etiam viri fortes habent menses vacuos et dies sibi laboriosos enumerant, donec, quod feliciter inchoaverunt, feliciter exequantur. Sane summa intentionis finis operis esse debet, nec solet incipere sapiens, quod nolit aut  
 30 nequeat consummare, sciens, quod finis non pugna coronat et non qui ceperit, sed qui perseveraverit, salvus erit, nec currentes, sed percurrentes bravium apprehendant aut coronentur, nisi qui usque in finem legitime decertarint. Siquidem cum ad promotionem karissimi in Christo filii nostri illustris regis Ottonis in Romanorum imperatorem electi tam in personis quam rebus plurimum laboraveritis hactenus, nec fuerit labor vester  
 35 inanis, immo plante, quam plantastis diligentius et rigastis, dederit dominus incrementum ita, ut maturitati proxima iam spondeat uberes fructus vobis, cavete, ne in vacuum gratiam dei recipiatis, sed eam potius tempore acceptetis accepto et, cum via vobis pateat